



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio VI. Proponuntur, & refutantur tres aliæ sententiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

78. Replicabis: Deus plura actu efficit sumpto motivo à re nunquam absolute, sed tantum conditionate futura, ut patet quando iustis concedit mortem prematuram, ne diu viventes gratiam amittant juxta illud Sap. 4. II. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*; ergo etiam sic poterit premium conferre ob merita, non absolute, sed tantum conditionate futura. Respondeo distinguendo antecedens: plura Deus actu facit sumpto motivo à re, non absolute, sed tantum conditionate futura, tanquam à fine; concedo antecedens: tanquam à merito, & causa efficiente morali; nego antecedens: existentia enim absoluta necessaria est ad rationem causæ efficientis, non verò finalis. Et hujus ratio est, quia causa efficiens non movet, ut sit, sed quia est, sicque ut moveat, & causet, debet necessario esse, & supponi absolute existens: at verò causa finalis non movet, quia est, sed ut sit, ac proinde opus non est, ut supponatur absolute existens.

SECTIO VI.

Proponuntur, & refutantur tres alie sententia.

79.  ECUNDA sententia docet, posse Deum alicui dare primam gratiam sanctificantem cum onere solvendi postea pro illa per bona opera subsequencia ex eadem gratia facta. Ita P. Agid. d. 8. de Merit. dub. 7. num. 109. ubi pro se refert P. Soar. tomo 1. in 3. p. d. 10. sect. 4. qui tamen alio sensu loquitur, ut patet ex illius sententia supra relatâ, & rejectâ, ut bene notavit P. Arriaga tomo 4. d. 56. n. 2. Pro hac tamen sententia P. Agid. aliorumque Recentiorum:
80. Objicies 1. Nulla datur repugnantia in eo modo conferendi primam gratiam propter merita subsequencia; sed illo admissio, prima gratia esset principium eorum meritorum, & simul caderet ut premium sub eadem merita; ergo &c. Respondeo negando minorem quoad secundam partem; nam in eo eventu non intervenire vera ratio meriti, sed solum donatio gratiæ onerosa, id est, cum obligatione aliquid postea faciendi; neque bona opera subsequencia haberent se per modum meriti respectu donationis, sed solum per modum finis, & ipsa donatio gratiæ per modum medii ad talem finem. Et hujus ratio est, quia meritum, ut moveat ad remunerationem, debet videri existens; non autem potest sic videri, nisi etiam videatur existens ejus causa; siquidem absque causa existente non potest videri existens effectus; quod enim non est, non potest dare esse; ergo intuitu operis subsequentis tanquam meriti condigni, non potest Deus moveri ad dandam gratiam, quæ est causa talis meriti.
81. Objicies 2. Meritum habet se per modum emptionis; siquidem per illud quodam modo emitur premium, sive res, quæ meretur; atqui si Deus diceret: *Do tibi hanc gratiam, ut postea mihi solvas per opera subsequencia*: daretur ibi vera emptio; sicut datur in humanis, si quis dicat: *Do tibi has merces, ut postea mihi pecuniam solvas*; ergo etiam daretur vera ratio meriti. Respondeo primò cum P. Arriaga cit. num. 8. admittâ majori, negando minorem, ad cujus probationem dicimus, si mercator tradens merces Petro v. g. nesciat, an Petrus habiturus sit voluntatem dandi absolute pecuniam pro illis, non dari tunc propriam emptionem, & vendi-

tionem, sed per eam traditionem mercium solum induci Petrum ad pecuniam dandam. Unde aut ea donatio mercium erit gratuita; aut certe Petrus non faciet merces suas, quousque postea pecuniam tradat, sed solum retinebit illas dependenter ab ipsa pecunia danda, donec illam dare velit: quod etiam militat in nostro casu, ut consideranti patebit.

Respondeo secundò cum eodem P. Arriaga cit. negando majorem; neque enim meritum in omnibus comparatur emptioni, & venditioni, sed solum in eo, quod sicut pecunia est æqualis moraliter mercibus, ita meritum premio, prout supra diximus: & sicut mercator amittit merces, & lucratur pecuniam, emens verò amittit pecuniam, & lucratur merces: ita præmians amittit aliquo modo premium, & lucratur meritum, sive obsequium in ejus honorem præstitum; merens verò quodam modo amittit meritum, & ejus loco lucratur premium. Discrepant verò emptio, & meritum, quod sæpius datur vera emptio vulgaris, etiam si mercator in tradendis mercibus solum habeat redditionem pecuniæ pro causa finali: non tamen datur vera ratio meriti, si remunerator in dando premio solum habeat redditionem meriti pro causa finali; siquidem meritum, ut diximus, debet esse causa efficiens moralis, quæ necessario debet prævideri, saltem ut absolute futura.

Objicies 3. Rex potest dare militi arma ob egregia facinorâ in bello faciendâ per illa arma. Et Petrus potest vendere Paulo prædium propter prædium solvendum ex redditibus ipsius prædii; ergo etiam Deus poterit conferre homini primam gratiam propter merita futura, & faciendâ ex ipsa gratia, quasi ex illius fructibus, & redditibus. Respondeo primò in exemplis adductis posse, ut supra diximus num. 17. intervenire donationem, sive contractum onerosum: *do, ut des: facio, ut facias*; sed tunc opera illa egregia solum habebunt rationem causæ finalis, non autem meritorie: quod etiam concedimus donationi primæ gratiæ, sicque argumentum nostrum urget, imò favet.

Respondeo secundò, dato quoad totum antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia in operibus militis futuris est aliquid meriti, quod non est ab armis, sed à virtute ipsius militis, & cum hoc non sit effectus donationis armorum, potest esse illius causa meritoria. Similiter in fructibus prædii est aliquid pretii, quod non fit ab ipso prædio, sed ab industria ementis, & fructificantis; & hoc potest esse causa emptionis, & venditionis, cum non sit illius effectus: at verò in operibus bonis nihil est meriti condigni, quod non sit dignificatum à prima gratia; sicque non potest esse causa meritoria ipsius primæ gratiæ, cum illam supponat, ut effectus suam causam.

Objicies 4. Deus intuitu operis cras futuri, potest hodie moveri ad dandam primam gratiam; siquidem non implicat, quod Deus prius attendat, & intendat id, quod futurum est cras, quam id, quod hodie est futurum, ut communiter concedunt Doctores; sed gratia hodie data intuitu operis crastini erit prima; ergo &c. Respondeo ad hoc, ut gratia cras existat, & opus meritorium, aut requiri hodie esse gratiam; aut non: si primum; ergo necessario Deus antequam videat opus futurum cras, debet videre gratiam hodie existentem, siquid non potest ob prævisionem operis cras futuri moveri ad dandam hodie gratiam; quia jam ipsa gratia supponitur volita, & prævisa pro hodierna die: Si secundum, hoc est, si non requiritur gratia, sed per accidens se habet hodierna ejus existentia ad crastinum

craftinum meritum, tunc non implicat, posse Deum intuitu operis craftini dare hodie gratiam: talis tamen gratia hodie data solum erit prima materialiter, & in tempore, non autem formaliter, & naturâ, ac in prævisione Dei; siquidem ut Deus prævideret opus craftinum condignè meritorium hodiernæ gratiæ, debebat illud videre dignificatum aliâ gratiâ, quæ sit prior naturâ ipso opere cras futuro, & in prævisione Dei tanquam ejus principium, quo pacto principium meriti non caderet sub meritum, ut patet ex supra dictis à num. 22.

86. Obijcies 5. Christus Dominus meruit antiquis Patribus, & Virgini Sanctissimæ; & tamen fuit illis posterior; ergo etiam bona opera hominis poterunt esse condignè meritoria primæ gratiæ, licet sint posteriora, & subsequantur ipsam gratiam. Resp. negando consequentiam; diversa ratio est, quia neque gratia data Sanctis Patribus, & Virgini Sanctissimæ, neque ipsa Virgo Sanctissima, & SS. Patres fuerunt causa moralis dignificans merita Christi Domini; sicque ex eo, quod cadant sub illius merita quoad gratiam eis collatam, non sequitur principium meriti cadere sub meritum: at verò prima gratia habitualis est causa dignificans opera, ut sint condignè meritoria, quæ si possent illam mereri, principium meriti caderet sub meritum, & idem esset causa sui ipsius, prius, & posterius se ipso quoad suum primum esse, quod implicat, ut supra diximus.

87. Instabis: Licet Virgo Sanctissima, & Antiqui Patres nō fuerint causa moralis dignificans merita Christi Domini, fuerunt tamen illo priores, utpote illius progenitores; & tamen potuerunt esse illo posteriores, ita ut illis mereretur; ergo etiam prima gratia, licet sit prior operibus illâ dignificatis, poterit esse illis posterior, & ab illis causari in ratione meriti. Respondeo (omissis aliis modis, quibus Authores ostendere nituntur, quomodo Christus Dominus, cum esset posterior suis progenitoribus, potuerit eis mereri dona gratiæ, imò & naturæ, 1) progenitores Christi Domini fuisse tempore priores ipso Christo Domino, & ita prævisos à Deo, non tamen priores naturâ; non autem implicat, quod illud, quod est alio posterius tempore, sit illo prius naturâ, & quod ita prævisum mereatur illi aliquod præmium; siquidem meritum non est causa physica præmii, sed moralis.

88. Patet exemplo, quia sicut ego possum prius deliberare de illis, quæ facturus sum cras, quàm de illis, quæ hodie facturus sum, ita etiam Deus prævidendo ea bona opera, quæ facturus sum cras, potest mihi dare gratiam ad facienda bona opera hodie, non minùs quàm ad facienda alia subsequenter; ergo etiam ita potuit Deus prius deliberare de Christo, quàm de suis progenitoribus, & propter Christi merita sic antecedenter prævisa dare aliquid ipsis progenitoribus tempore prioribus. Neque ex hoc sequitur, potuisse etiam Deum prius deliberare de meis meritis condignis cras faciendis, quàm de prima gratia mihi hodie danda, & propter illa merita ex tali gratia dignificata illam mihi hodie dare; siquidem talia merita, ut supponimus, & diximus, dependent à tali gratia, ut à sua causa efficiente morali; implicat autem, quod Deus deliberet, & velit effectum, quin prius deliberet, & velit causam, à quâ ipse effectus dependet.

89. Urgebis: Etiam Christus Dominus dependebat à suis progenitoribus; & tamen eis promeruit; ergo &c. Respondeo Christum Dominum dependere quidem à suis progenitoribus, ut à causa, materialiter tamen, & physice, non

Tom. 2.

autem formaliter, & logicè; siquidem Deus, prout alibi diximus, & dicemus, prius decrevit Christum Dominum per unam actionem totalem producendum independentem à suis progenitoribus, & postea illum decrevit per aliam actionem totalem ab ipsis dependentem. Unde primo modo decretus, & prævisus potuit esse causa meritoria suorum parentum, ex quo nullum sit argumentum ad præsentem questionem, ut consideranti patebit.

Tertia sententia tenet, potuisse Deum videre opus dignificatum gratiâ aliquâ, abstrahendo ab hac, aut illâ, & sic determinari ad hanc potius dandam, quàm illam; ac proinde primam gratiam posse prout sic conferri ob merita illa subsequenter ipsam gratiam. Ita aliqui Recentiores. Sed contra primò, quia Deus non potest habere cognitionem vagam, & indeterminatam attingentem existentiam causæ absolutè, quin attingat in particulari, quænam illa sit; hanc autem haberet in proposito eventu, ut consideranti patebit; ergo &c. Secundò, quia effectus determinatus debet procedere à causâ determinatâ; ergo causa, siue gratia indeterminata non potest esse principium meriti determinati.

Tertiò, quia antequam Deus determinet quam causam velit applicare, ad summum poterit cognoscere se habere voluntatem efficacem determinatam causæ; consequenterque inferre; ergo effectus existit; ea tamen cognitio non est effectus in se, neque est propriè intuitiva, sed abstractiva; sed ut moveatur opere aliquo bono, tanquam merito, debet necessariò illud videre, ut in se existens, & ex complacentia in illo sic existente allici ad dandum præmium; ergo donec videat causam, siue gratiam determinatam meriti, non potest Deus ex illo moveri ad præmium conferendum; atqui si jam videt determinatè causam, repugnat, quod ex vi talis meriti decernat tunc primò eam causam producere; ergo non potest principium meriti quæ tale, etiam divinitus, cadere sub meritum, si meritum propriè accipiatur. Dixi: Si meritum propriè accipiatur, quia non nego, posse principium meriti dari animo, & intentione, ut fiat meritum; sed tunc tale meritum non movet, quia est, sed ut sit; hæc autem motio non est causæ meritoria, sed finalis, quod non implicat, ut supra diximus, & de quo non est præsens questio.

Quartò, quia si Deus videt opus jam dignificatum hac, aut illâ gratiâ; vel utraque distinguitur solo numero; vel specie: Si primum; ergo nullum est præmium in eo, quod det potius hanc, quàm illam; siquidem nullam gratiam exercet famulus in dando pauperi hunc potius aureum, quàm illum, si ambo sint æquales, & cogatur à domino dare hunc, aut illum, prout supra diximus. Si secundum, quia scilicet una est gratia unionis, & alia habitualis, non potest Deus videre opus illud, ut dignum gratiâ unionis, nisi etiam videat illud dignificatum eadem unionis gratiâ; ergo neque etiam potest dare ipsam gratiam intuitu meriti, cum eam prævideat jam datam; alioqui principium meriti caderet sub meritum, quod negamus; sed non potest etiam dare in præmium gratiam habitualement pro opere dignificato ex gratiâ unionis; siquidem tunc non præmiat: tum quia dat minimum, quod potest: tum quia jam supponebatur determinatus ad dandum aliquid; si autem eligens inter æqualia, non præmiat, ut diximus, multò minùs præmiabit, qui eligit minimum ex his, ad quæ tenetur; ergo &c. Et ex his patet solutio ad fundamentum contrarium.

III 2

Quarta

93. Quarta sententia affirmat, posse hominem per merita subsequenter mereri primam gratiam habitalem, si Deus duplici decreto statueret eam illi dare: Primum quidem omnino liberaliter. Secundum autem ex meritis de condigno: In eo enim casu non videtur repugnare, quod homo post semel datam primam gratiam, eam incipiat habere intuitu meritorum. Ita aliqui Recentiores, quibus videntur annuere P. Perez de Incarnat. d. 12. sect. 3. num. 8. P. Amicus ibid. d. 26. n. 143. quatenus docent, Christum Dominum potuisse ita mereri substantiam Incarnationis.

94. Fundantur, quia Deus potuit absolute velle dare gratiam Petro v. g. omnino liberaliter: deinde praevidendo bona opera ipsius Petri jam absolute futura, potuit novo alio decreto velle ei dare eandem gratiam habitalem novo titulo, nempe ob ipsa bona opera jam praevisa ut absolute futura; ac proinde ex meritis de condigno, cum in hoc nulla appareat repugnantia; ergo &c.

95. Confirmatur primum, quia prima gratia in facta suppositione ex vi secundi decreti habet novam futuritionem absolutam, quam antea non habebat; siquidem prout sic est futura ob merita praevisa, quod antea non habebat; ergo secundum hanc futuritionem potuit de novo esse, & dari propter merita, siue opera subsequenter jam dignificata ab eadem gratia sumpta secundum primam ejus futuritionem. Secundum, quia licet in causis physicis non possit efficiens, etiam divinitus, esse principium sui ipsius quoad primam productionem, potest tamen (ut multi dicunt) quoad secundam; ergo similiter in moralibus, licet prima gratia non possit esse principium sui ipsius quoad primam collationem, poterit tamen quoad secundam.

96. Dices: Merita illa subsequenter supponunt primam gratiam jam absolute futuram; siquidem ab illa procederent, ut a principio dignificante; ergo non possunt illam mereri. Respondeo supponere primam gratiam futuram quidem, sed ex vi prioris decreti, & absque meritis; non autem ex vi secundi decreti, & ut conferendam propter merita. Instabis: De ratione doni liberalis est, quod non sit propter meritum; alioqui jam non erit liberale, & gratuitum, sed debitum; atqui prima gratia datur a Deo liberaliter; ergo implicat dari ex meritis. Respondeo primam gratiam secundum primam futuritionem dari quidem liberaliter, ut diximus, non vero quoad secundam.

97. Haec sententia est probabilis, & potest facile sustineri; nihil tamen ex illa contra nostram doctrinam, quae solum procedit de prima gratia absolute futura, & sumpta quoad suum primum esse, ac sine ullo respectu ad has formalitates, & titulos diversos. Accedit, quod illa gratia secundo illo titulo collata, non esset, proprie loquendo, prima formaliter, sed ad summum materialiter, ut diximus, & de qua in praesenti non est sermo.

SECTIO VII.

An, & quomodo perseverantia in gratia possit mereri de Condigno?

98.  DVERTES primum, perseverantiam gratiae posse dupliciter accipi: Primum, quod ipsa perpetuo duret, si per peccatum mortale non expellatur. Et in hoc sensu nulla est difficultas; siquidem omne meritum

condignum exigit eam durationem, quatenus gratia semel acquisita ex se perpetuo durat, nisi per peccatum mortale expellatur. Unde mereri eam perseverantiam conditionalem, nihil aliud est formalissime, quam mereri ipsam gratiam, seu potius augmentum gratiae, de cujus perseverantia intelligendum est huiusmodi meritum; siquidem hoc tantum, non vero prima gratia cadit sub merito condigno, ut supra diximus. Secundum, potest accipi meritum illius perseverantiae physicae, ita ut absolute homo mereatur etiam ipsam conditionem necessariam ad perpetuam conservationem gratiae, id est, ne ponatur peccatum expellens ipsam gratiam, in quo sensu est modò difficultas, pro qua:

Advertes secundum, donum perseverantiae in gratia usque ad finem vitae hoc secundo modo sumptum posse etiam dupliciter sumi: Primum, si per illud intelligatur, non solum mors in gratia, sed etiam omnia, quae moraliter ad illam concurrunt, id est, volitio Dei de tali morte in gratia, meritum talis volitionis Dei, & auxilium praecedens meritum, quae omnia spectant ad donum perseverantiae in gratia; siquidem Deus per Scientiam Mediam praevidit connexionem omnium eorum cum morte in gratia finali. Et in hoc sensu certum est, perseverantiam finalem, neque naturaliter, neque divinitus, posse cadere sub merito, non solum de condigno, sed nec etiam de congruo; siquidem perseverantia finalis prout sic includit primum auxilium; hoc autem, cum sit ante omne meritum, utpote principium meriti, non potest etiam divinitus cadere sub merito, ut supra diximus.

Secundum, ita ut homo jam existens in gratia, & supposito auxilio dato ad bene operandum, mereatur de condigno per actum ipsum bonum, ut Deus statim illum accipiat, antequam de novo peccet: aut certe mereatur, ut Deus illi det semper in posterum omnia auxilia, non solum sufficientia, sed etiam congrua ad omnia mortalia vitanda quandiu vixerit, siue omnia illa auxilia mereatur per primum actum, siue per hunc mereatur auxilium congruum ad secundum actum, & per hunc ad tertium, siue usque ad mortem in gratia finali; ita tamen, ut tota illa series auxiliorum sit ex efficacibus. Et in hoc sensu procedit praesens difficultas, idque siue homo tunc dicendus sit mereri totam perseverantiam finalem, siue non, quatenus non meruerit, nec potuerit mereri primum auxilium, ut diximus.

Dixi homo jam existens in gratia, nam si homo moriatur in gratia ante omne meritum per justificationem habitum, & acquisitum, absque dubio non poterit tunc perseverantia cadere sub merito; siquidem actus ille, quo homo fuit primum iustificatus ante mortem, cum non fuerit elicitus ab homine iusto, & dignificato per gratiam, non potest esse meritorius gratiae de condigno, & a fortiori neque perseverantiae illius: post acceptam vero gratiam, ut supponimus, non habuit novum meritum, quo possit illam perseverantiam mereri, quia statim mortuus est; ergo &c. His positis.

Communis, & vera sententia negat, donum perseverantiae finalis cadere sub merito de condigno. Ita D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 9. & ibi Caiet. Medin. Conrad. Zumel. Montesi. Lorca. P. Valent. P. Valsq. Pesant. & ex Antiquis quotquot rem attigerunt in 2. dist. 27. & 28. D. Antonin. 4. p. tit. 9. cap. 7. sine. Viguer. cap. 3. §. 5. vers. 8. P. Bellarm. lib. 5. de iustificatione. cap. 22. P. Soar. tom. 3. de grat. lib. 12. cap. 26. an. 7. P. Egid. d. 8. de Merit. dub. 12. P. Granad. 1. 2. contr. 8. tract. 11. d. 6. P. Becan. 1. 2. tract. 4. cap. 5. q. 7. P. Torres. Opuscul. de Merit. d. 3. dub. 3. P. Janner.